

annos aliquot sanguinem stillare, sicut exemplum recitatur ex Gulartio, quod in Daniâ manus occisi hominis amputata atque in carcere suspensa & arefacta post totum decennium sanguinem stillando occisorem prodiderit. Rationem reddunt hanc, quod Spiritus hominis occidendi injuria irritatus, quando cum sanguine jam funditur, in vindictam velut sese effundendo transfiliat in ipsum occisorem. Unde fieri dicunt, ut cum is cadaver accedit (præsertim si tangere id aut intueri jubeatur) quicquid Spiritus in cadavere est reliquum, cum vehiculò suo sanguine in occursum Spiritui per Sympathiam sese proripiat.

§. 5. Sed ipsa scriptura huic sententiæ reclamât, quippe quæ duas tantum hominis partes agnoscit, sic Eccles. 12. 7. dicitur. *Et revertatur pulvis in terram, unde erat, & Spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Per pulverem corpus intelligi in confesso est; per Spiritum autem animam significari